



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

De nostro principio ex quo manauimus. Cap. 1

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGA  
RITAE EVANGE

licæ Liber I.

De nobili principio nostro, ex quo origi-  
naliter emanauimus, & in quod per  
merita Christi refluere debe-  
mus. Cap. I.



VONIAMQVI  
dem, ipsa sacra scri-  
ptura testante, omnes  
in Adam primo pro-  
genitore nostro pecca-  
uimus, & in horren-  
dum quoddam totius  
deformitatis & mise-  
riæ barathrum dila-  
psi sumus: ideo si pri-

stinam vitæ puritatem in eodem prothoplasto  
deperditam obtinere et recuperare voluerimus,  
cum ipso nobis incipiendum est, qui prorsus o-  
mni initio caret, hoc est, cum Deo, qui est illud  
nobilissimum principium, ex quo originaliter  
emanauimus, & in quo idealiter permanemus.  
Quemadmodum enim radij solares in sole, ita  
quodammodo anima nostra in Deo dependet,  
qui est principium nostrum, vita nostra, & con-  
seruator noster. Porro per vires animæ atque

A sensus



## MARGARITAE EVANG.

Sensus ad exteriora dispersi sumus, & nos ipsos a principio nostro Deo sponte auertimus & alienauimus, & per amorem rebus creatis inhaeremus, in eisdemq; solatiuncula nostra quærimus: per quod nimirum animam nostram valde deformauimus, & nos ipsos claudos fecimus: ita ut summo bono adhærere iam non possimus, neque per viam veritatis incedere. Sed & cæci atque surdi facti sumus, ita ut æternum bonum, neque agnoscere, neque intelligere valeamus: & ideo diuinas inspirationes inobediendo contempnimus. Denique rectam vitæ semitam perdidimus, & pulchritudine pristina spoliati sumus: Interim tamen ipsa interna essentia, & imago animæ nostræ nihilo minus permanet in Deo, & viuit in Deo, & Deus in nobis, quamuis ipsi hoc ignoremus. Neque enim hoc aliquis scire aut sentire potest, quamdiu creaturis inordinate afficitur, & rebus visibilibus inhaeret: & ideo necesse est ut mori studeamus sensualitati nostræ, & reiectis creaturis conuertamur ad Deum creatorem. Non enim quiescere potest anima, nisi cū omnibus viribus suis Deo applicata, & ad Deum, suum videlicet principium, conuersa fuerit. Si proinde omnes vires nostras Deo vnire, & ipsi principio nostro inhaerere velimus, obseruare debemus, quod præceptum est angelis, & cauere, quod hominibus prohibitum fuit. Certe quum nos & omnia alia in diuinitatis adhuc abyssu increata essemus, vena flagrantissimæ charitatis suæ potenter commouebat, & perurgebat omnipotentem virtutem diuinæ essentiæ (quæ latebat in abyssu)



## LIBER I.

In abyſſo diuinitatis ) vt emanaret, operaretur, & plasmaret creaturas, quæ ſuæ bonitatis infinitis diuitijs fruereſſent. Creauit igitur per operationem ſanctiſſimæ Trinitatis ſuæ cœlum & terram. Et cœlum quidem ornauit angelis, vt fruereſſent ipſius delicioſiſſimis diuitijs, & contemplantur diuinitatis abyſſum, eſſentque throni atque ſedilia, in quibus Deus omnipotens reſideret & quieſceret. Paradifum vero voluptatis poſſidendam tradidit hominibus, vt ſecum omnibus delictijs fruereſſent, eſſentque ſuæ deitatis habitatio & tabernaculum, & iugiter eſſent ambularentque cum ipſo. Terram denique herbis & floribus diuerſi generis, multis quoque fructibus & animantibus propter hominem exornauit.

### De angelorum creatione & ruina.

#### Cap. II.

**C**reauit proinde angelos ad imaginem ſuam, & ſe in ipſis & cū ipſis vniuit. Erantque tunc viui illi atque cœleſtes ſpūs mirabili pulchritudine decorati, veſtiti lumine gloriæ, permanentes in delicioſiſſima voluptate diuinitatis ante conſpectum æterni Dei, & in ſuauiſſima melodia diuinæ laudis. Ipſi erant clarifſima ſpecula, in quibus diuina maietas ſeipſam cū perfecto gaudio cognoſcebat. Deditque eis Deus liberrime contempleri ſpeculum ſuæ beatifſimæ Trinitatis cum perfecto gaudio ac voluptate. Sed & præceptum dedit eis, quo iubebat, vt ſibi ſeruire, & in præſentia ſua permanere deberent; fecitque vt in ſpeculo ſanctiſſimæ

A ij Tri-